



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

T.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

stella, quæ Vincenti promittitur in præmium. Apoc. 2. 28. Richardus à S. Laur. l. 1. de laud. Virg. c. 3.

Maria interpretatur stella maris: quæ navigantes per mare Mundi in navi innocentia, vel penitentia, dirigit ad littus coelestis patriæ. S. Bonaventura spec. B. Virg. c. 3.

T.

Temperantia.

Uterus ille, qui Deo incarnatò gravidatus est, nunquam in cibo, & potu, intemperatò gravatus est. Idem ibidem c. 4.

Templa.

Sola Roma magnifica templa in B. Virginis honorem ad sexaginta tria, quot Salutationes Angelicæ in Rosario, exædificavit; illaque studiosè frequentat, & devotè colit.

In Hispania, post diligentem inquisitionem, reperta sunt templorum B. Virgini Mariæ dedicatum octuaginta millia: vixque ibi colliculus aliquis, insignior, amceniorve, conficitur; quem non Sacellum aliquod, aut ædícula Mariana, exornet, & coronet. Nierembergius de amore erga B. Virg. c. 10.

Tentationes.

Deborah. Judic. 5. 8. quod Hebr. idem est, quod *apis*, typus B. Virginis; peperit victoriam de diabolo. Barac noluit ire ad conflictum, nisi comite, imò Duce Deborah. Sic B. Virgo Virginum, Apostolorum, Martyrum, Sanctorum omnium, autefignana omnes præit verbò; & exemplo hortatur, ad generosè cum carne, Mundo, & dæmone, certandum. Incert. Auth.

Sicut cinnamomum aromatizans odorem dedit. Eccl. 24. 20. Pausanias in Bœoticis l. 9. scribit: in Arabia plurimas vipersas sub balsamifloribus arboribus latitare; easque sub illis commorantes balsami partem venenum amittere; ipsarum item morsus ob id esse innocuos. At verò præfidio B. Virginis, quæ est mysticè balsamifloris arbor, dæmonibus, per serpentes significatis, venenum admittitur; ne eorum morsus, & nefaria suggestiones, ejus clientibus noceant. Cornelius hic.

Domine! salva nos, perimus. Matth. 8. Maria nostra est susceptio: nam in mari Mundi submerguntur omnes illi, quos non suscipit navis ista. Unde Sap. 14. *transseuntes mare*, id est, Mundum, *per ratem*, id est, Mariam, *liberati sunt*. Idè, quoties videmus insurgentes super nos fluctus hujus maris; clamare debemus ad Mariam: Domina! salva nos, perimus. Richardus à S. Laur. l. 11. de laud. Virg.

V.

Verbum Dei.

Eccè Mater tua, & fratres tui foris stant. Matth. 12. 47. Profundè subdita silenter Polyant. Sacr. Tom. II.

stabat ad verbum; cedens doctrinæ publicæ pro publica utilitate potius, quàm vellet sibi Filium reducere in privatum. Nec ipsa dixit, quod ille Judæus protulit, quod ei loqui vellet. Sed aut Christum increpare satagens, quod ex paupercula natus esset; aut humanè discretus ad Matrem, autumans ipsam assistere præ foribus præstolantem, ut Filio loqueretur. Simon Cas. de gest. D. l. 2. c. 26.

Maria autem conservabat omnia verba hæc &c. Luc. 2. 19. Si Maria à pastoribus discit, cur tu declinas discere à Sacerdotibus? S. Ambros. hic. Audit ab Angelis Maria omnium Magistra virtutum; & velut à sapientibus verba deprompta custodit. Humilitatem suam protestatur, quod audit ab eis, quibus est ipsa superior; & affectum movet in prolem. Simon Cas. de gest. D. l. 2. c. 20. Quid est conferre in corde? nisi studiosa meditatio mentis veritatem rerum potissimum investigans. Exemplò novæ Virginis Matris animemur: ut internâ mente mysteria meditemur; ut fide nos vivificent, spe erigant, dilectione pascant. Idem ibidem c. 21. O Mater sapientissima! nobis conservabat, & memoriæ commendabat: ut postea ipsa docente, ipsa narrante, scriberentur, & universo Mundo prædicarentur. Ab ipsa enim hæc Apostoli audierunt, & ipsa dictante, scripserunt. Eusebius Emis. in aurora Nativ.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Joan. 8. 47. Aures debent esse duæ, scilicet intellectus & affectus; ut audiat, qui ex Deo est, exemplò Mariæ. Humiliter pro se, sicut ipsa audit Angelum; patienter contra se, sicut ipsa Filii irrisores. Non debent moveri aures, nisi motò capite, id est, nisi ad ea, quæ Deus vult; quia aures sunt de ipso capite. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Sic per omnia, & tantum sic movebatur Maria. Richardus à S. Laur. l. 5.

Victoria.

Joannes Zemifces Orientis Imperator, dum, deletò Bulgarorum rege, & regnò, Constantinopolim cum triumpho regreditur; ipse albo vectus equò, venerandam verò Augustissimæ Virginis imaginem in curru triumphali, substratis ejus pedibus hostium spoliis, victimam deferri iussit. Zonaras tom. 7.

Joannes Comnenus, Imp. Constantinop. cum anno 1123. de Scythis validò exercitu Thraciam invadentibus, ope B. Virginis victor evasisset; in rei gestæ monumentum apparari iussit currum pulcherrimum, cui quatuor equos candidissimos admovit, in eo victricem Imaginem Deiparæ collocavit; habenas proceribus regni, currum cognatis, regendum dedit: ipse crucem manu gestans pedes antecessit. Nicetas in Annalibus.

Virginitas.

Pulchra ut Luna. Cant. 6. 9. propter virginitatem: luna namque corpus frigidum est. S. Bernardinus tom. 1. l. 52.

H

For